FLORA.

№ 28.

Regensburg. 28. Juli. **1861.**

Inhalt. ANTIKRITIK. Dr. Th. M. Fries, Hujus diarii lectoribus. — W. Leighton, Lichenes britannici exsiccati. — LITTERATUR. Dr. A. Kerner, niederösterreichische Weiden. Dr. Ph. Hepp, die Flechten Europas in getrockneten mikroskopisch untersuchten Exemplaren etc. (Schluss) — ANZEIGE.

Hujus diarii lectoribus.

Nunquam quidem dubitavi, quin Cl. W. Nylander graviter offensus, quod aliquot ejus de rebus lichenologicis sententias, me judice minus ratas, examinare et refellere ausus sim, solita contra recedentium sententiarum fautores acerbitate opusculum meum: Genera Heterolichenum europaea recognita aggrederetur; at adeo eum irae succubiturum, ut, missa omni dignitate, verba inter homines eruditos fere inaudita effunderet, exspectationem meam paene excessit. Qua in re quum principatum ei libenter deferam — et vanum, satis scio, omne erit certamen — ad animadversiones ejus, quod ad rem tantum attinet, in animo est respondere:

1. „Arbitrio solito," contendit N., „has (gonidiorum) distinctiones auctor ei (?, sibi?) non placere declarat;" num jure, ex meis verbis elucet. Duobus enim locis (pag. 27 et 62) expressis verbis enuntiavi, „utilitatem hujus characteris minus adhuc esse probatam, quam de qua certum queamus afferre judicium."

2. Nunquam adeo fui temerarius, ut „vitio torquere vellem, N. haud divisiones majores differentiis spermatiorum invicem separare, sed genera vel sectiones generum." Unicuique locum a N. allatum (p. 46) adeunti facillime patebit, me tantummodo demonstrasse „pretium a N. spermogoniis re vera additum minime tantum esse, quantum ex ipsius verbis crederes." Nunquam vitio illi dedi, quod in divisionibus majoribus spermatiorum differentias non respexerit, sed

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05976-0435-6

indicavi tantum, illum legem ab ipso propositam non observasse. — Verba Nylandri de spermogoniis (p. 133 huj. diarii) conferas etiam cum pp. 34—36, 46 etc. opusculi ab illo castigati.

3. „De me tacendum erat auctori Upsaliensi," exclamat idem et exemplo comprobare studet: „Sphaerias quasdam thecas offerre jodo apice coerulee tinctas, celeberrimo Tulasne adtribuit detectum auctor Generum Heterolichenum, citans Ann. sc. natur. 4, VI. p. 318; attamen in iisdem annalibus (4, III. p. 148) videre liceret, me primum rem hancce apud binas species observasse et determinasse, licet cel. Tulasne deinde simile aliquid apud alias quoque observavit." — In eo versabar, ut quam plurima afferrem fungorum exempla, quorum hymenium, addito jodo, coeruleo tingerentur colore, quo sententiam ab variis scriptoribus (praecipue N) acceptam refellerem, in hac re grave positum esse criterium ad fungos lichenesque distinguendos. Citabam igitur Cel. Tulasne, qui hanc rem non apud „binas" modo sed apud permagnum Sphaeriarum numerum observasset, nullibi tamen affirmans, illum hanc observationem apud singulas species primum fecisse. Quae quum ita essent, superfluum mihi videbatur „observatiunculam" Nylandri seorsim afferre, sententiam ab ipso receptam infirmantem vel refutantem.

4. Mirum sane mihi videtur, N. fidem mihi denegare, *Biatoram campestrem* Fries. pro lichenis specie, ad genus *Biatorellae* pertinente, declaranti. Specimen originale, in Fr. Lich. Suec. exs. n. 222 exhibitum, examinavi — et plantam hoc loco distributam typum sistere speciei a Patre descriptae, quis velit infitiari?

5. Indignatione deinde incenditur, quod „auctor me (Nyl.) taxat (p. 62) genera *Psoroma*, *Pannariam* et *Amphiloma* ad tres tribus diversas ducere, quum ea ad unicam tribum *Lecanoreorum* refero" — nec omnino immerito. Lapsu enim calami vel typothetae illo loco legitur „tribus" pro „subtribus", quod erratum facillime perspiciet, qui verba mea ad finem perlegerit. Nam in prima subsequentis paginae linea haec leguntur verba: „Definitiones subtribuum diversarum, ad quas tria sua genera retulit Nylander etc." — Has autem tres subtribus illum proponere videre licet in Classif. II.

6. „Numne etiam nullius sint momenti quae feci?", interrogat et addit: „neque egeam serio me defendere contra sententiam, quae vellet, ut irrita essent studia mea, si cum aliorum comparantur." — Mihi liceat interrogare: ubi studiis illius omne derogavi meritum? Nonne pluribus locis observationes illius approbans atque laudans attuli? — At homo est et errare humanum; vitiis igitur non magis

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05976-0436-2

ejus opera carent quam aliorum scriptorum, meis ipsius minime exceptis.

7. Vetant leges, ne quis suam ipsius caussam dijudicet; ergo neque Nylander nec ipsemet ego apti sumus hujus rei judices. Alii judicent lichenologi, num observationes a me allatae verae an falsae sint, num „nihil ponderis alicujus gravioris scientiae addiderim," num „ex auctoribus modo hauserim quod attuli," num „observatiunculae meae pueriles sint vel scholasticae", num genera a me accepta „ludibria sint ventis" atque „notis levissimis vel inobservantibilibus discissa, divulsa, dilacerata et rabie cumulata" similiaque. Vix dubie recordabuntur illi, ingentem adesse differentiam inter rem et auctorem — ideoque me, sententias meas affirmare, aliorum (inter quas interdum vel persaepe Nylandri) refellere tentantem, non necessarie — ut aliis persuadere conatur Nylander — hostili atque inimico tantummodo duci animo, „contumelias effundere, impudentias in hoc negotio accumulantem more solito," „vitia (falsa) illi objicere et pro modulo virium buccinare," „in sordibus me polluere" atque deinde „clangore et strepitu procedere, ut credere faciam, me magnum esse Herculem" — leniora ut taceam. Neque aegre feram qualecunque judicium sine ira et studio allatum — nec, ingenue fateor, hoc ipso Cl. Nylandri judicio admodum sum commotus. Dr. Th. M. Fries.

Lichenes britannici exsiccati. Herausgegeben von Rev. W. A. Leighton, nach Massalongo's System zusammengestellt von F. Arnold.

Im Laufe des letzten Jahrzehnts hat Herr Leighton in Luciefelde, England, eine reichhaltige Sammlung von 350 brittischen Lichenen in 11 Fascikeln herausgegeben, worin eine Reihe seltener, zum Theile in keiner anderen veröffentlichten Collection enthaltener Arten sich vorfindet. Von einer beträchtlichen Anzahl der Flechten, welche in dieser, auf dem Continente nur in wenig Exemplaren verbreiteten Sammlung publicirt sind, ist bereits in den Werken von:

Massalongo, sched. crit., Verona 1855, 1856;
Hepp, Sporenabbildungen, Zürich 1853—1860;
Nylander, synopsis lich. pars I. Paris 1859;

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05976-0437-8

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1861

Band/Volume: 44

Autor(en)/Author(s): Fries Theodor [Thore] Magnus

Artikel/Article: Hujus diarii lectoribus 433-435